

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
 DE
**TESTICVLO
 VENEREO**

QVAM
 CONSENSV
 GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
 IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA
 PRAESIDE

DN. D. HERM. PAVLO IVCH

SACRI PALATHI CAESAR. COMITE
 FACVLT. MED. H. T. DECANO SENIORE ET ASSESSORE PRIMARIO
 PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORD.
 SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET GOTH. CONSILIAR. AVL. ET ARCHIATRO
 NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA

PRO LICENTIA
 SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
 ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQVENDI
 PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVSSIONI SVBMITTIT
 AVCTOR ET RESPONDENS
JOANNES GOTTLOBIVS SÜSSIVS
 NEOKIRCHENSIS-MISNICVS.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS
 HOR. CONSVET.

DIE XXVI. NOVEMBR. ANNO MDCCXLIX.

ERFORDIAE
 Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

DE
TESTICULO
VENEREO

AVAM
CONSENSU
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA BEROLINENSIS

DAVID HERM. PAVALO IVCH

AVAM
CONSENSU
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA BEROLINENSIS

PRO LICENTIA

AVAM
CONSENSU
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA BEROLINENSIS

IOHANNES GOTTLIEB REISSER

IN ACADEMIA BEROLINENSIS

ERDIAE
CHRISTOPH. BERNOH. Typogr.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
TESTICVLO VENEREO.
PROOEMIUM.



nter multa, quorum secunda sordidum seminis profluvium mater est, mala, veneris non ultimo loco ponendus est testiculus; tam ob gravia quæ secum fert symptomata, verbi causa atrocissimum dolorem, ardorem, inflammationem, febrem, suppurationem, quid? quod interdum delirium, gangrænam scroti, testiculorum corporisque pampiniformis scirrhum, & per hunc impossibili interdum reddita testiculorum excisione, mors agmen malorum claudit: quam ob circumspe-

Etiam hujus morbi curationem; quantum enim improvida testiculi venerei tractatio mali afferre possit, non est in obscuro. Habes igitur, B. L. quæ me, hoc thema dissertationis inauguralis ut eligerem, impulit, rationem. Faxit Deus, ut, quæ illius est benignitas, in maximi sui nominis gloriam, proximique utilitatem labor hic cedat!

SYNOPSIS TOTIVS TRACTATIONIS.

Partis theoreticae caput I. Pathologiam hujus morbi tradit, & quidem §. I. definitio, §. II. denominationis fundamenta exponuntur. §. III. Differentiam ab aliis morbis, §. IV. locos affectos ostendit. §. V. usque ad VIII. causas exponunt. §§. IX. X. symptomata enarrantur. Caput II. Semiologicam tractationem sistit. §§. I. II. Signa ostendit. §§. III. V. Evognitionem in medium afferunt. Pars practica therapiam docet. Caput I. Curationem internam exponit. §. I. Dietam prescribit. §§. II. III. Curationem internam sistunt. Caput II. Medelam externam enumerat, & quidem §. I. tumoris resolutionem atque inflammationis inhibitionem prescribit. §. II. De emplastris. §. III. De venesectione. §. IV. De affluxu avertendo agit. §. V. Scroti inflammari tractationem docet. §. VI. De testium suppuratione, §. VII. scirrbo, §. VIII. scirrbo eorum obfirmato, §. IX. ulcere cancroideo agit. §. X. Quando malum omnem respuat sanationem ostendit. §. XI. insufficientia, §. XII. incongrua remedia prodit. §. XIII. De mali recurso monet. §. XIV. Casum enumerat. §. XV. Testium tumorem non venereum explicat. §. XVI. Tractationem claudit.

Pars

PARS THEORETICA

De testiculi venerei natura.

CAPVT I.

Pathologicam ejus exhibens tra-
stationem.

§. I.

Testiculus venereus est testium enormis atque do- *Definitio*
lorificus tumor, ex fordido in carne profusio *test. ven.*
sufflaminato originem suam ducens.

§. II.

Est huic morbo nomen tam ab ipso loco affecto, *Denomina-*
testiculo nimirum, quam a causa materiam ei submi- *tio.*
nistrante, nimirum miasmate venereo: in agro enim
venereo spurcissimi hi colliguntur fructus. Aliis et-
iam dicitur veneris hernia. Vernacula vero sua einen
Sand-Ball, Sand-Sack appellat Germani.

§. III.

Differt hoc malum a testiculorum tumore, in- *Differentia.*
flammatione &c. a causa externa illatis, e. g. lapsu, ictu,
contusione, ascensu in equum vehementiori; nec non
ab hernia, ac hydrope scrotali, illa enim ad manus com-
pressionem, & ægro resupino incumbente, retrocedit,
ac nonnumquam cum murmure recurrit; in hoc, ad-
mota accensa candela, aqua translucet, tumor est reni-
tens, figuræ oblongæ, foveasque post digitorum im-
pressionem

pressionem relinquit, quæ omnia in testiculum venereum non cadunt. Quid? quod causas antecedentes, & symptomata hunc morbum concomitantia, de quibus infra uberius subministrabitur tractatio, eundem a consimilibus optime distinguunt.

Locus affectus.

Interdum dolorificus hic tumor alterum tantum, interdum autem testiculum obtinet utrumque. Imo ipsum scrotum & ejus tunica cellulosa atque nervea non sunt immunia; unde exquisitissimus oritur dolor. Sæpe numero etiam accidit, ut corporibus pampiniformibus labes hæc affricetur. Quo magis igitur hæc sensu exquisito gaudent loca, eo facilius de doloribus, quibus hoc morbo laborantes discruciantur, genuina idea poterit formari.

§. V.

Causæ ab aegroto admixtæ.

Ipsi ægrotantes fenestram sordido huic malo patefacere solent, si diligenter lupanaria frequentantes, vel impurissima scorta sectantes, gonorrhœam sibi contrahunt malignam. Dein si admisso frigore intensiori, vel æstu nimio, aut potus spirituosus v. c. spiritus vini, vel vini largiore ingurgitatione, impurum feminalis liquaminis profluvium sistunt, aut si ejusdem inhibitionem a chirurgis, interdum parum cautis ultro exposcunt, & quæ hujus generis sunt plura.

Causæ a medicis illatae inter se.

Ad efficiendum testiculum venereum incongrua gonorrhœæ malignæ non ultimas partes sibi deposcit tractatio. Huc primo pertinet sinister medicaminum inter-

internorum usus; in quorum censum veniunt I. adstringentia v. c. saccharum Saturni, ossa sepiæ & quocunque nomine veniant, interne improvide adhibita, quibus saniosus sufflamatur veneris fluxus; antequam nocivum miasma ex corpore sit proscripsum. Qui ejusmodi cum hostibus intempestivam ineunt pacem, idem faciunt victas manus eisdem præbenti, eoque ipso malorum agmen in miserorum corpus introducat. II. Acria, resinosa atque impetuosa purgantia, quibus uberior humoris impuri versus testiculos proritur ac invitatur affluxus. III. Idem præstant diuretica fortiora e. g. cantharides, oleum Succini atque Terebinthinæ hisque similia; quæ omnia damno inferendo, quam auxilium ferendo sunt aptiora.

§. VII.

Externe in abusu adstringentium in primis Chirurgorum nonnulli peccare solent; injectionibus enim tormentillam, saccharum Saturni addere soliti sunt; quibus fit, ut impurus humor una cum lymphâ ad testes delatus, per angustissimos eorundem canaliculos, qui quadringentas Hetruscorum ulnas longitudine æquare creduntur, propter crassitiem tranare necius, restagnat ac membranas distendit, inque magnam ab affluente insimul per arteriosa vascula a tergo sanguine cum seminali liquido, testiculi corpus molem attollit: quam presso pede, ob statim cruoris vitalis intra compressa ac angustata vasa, sequitur inflammatio.

§. VIII.

Testiculi venerei prodromus etiam esse potest tumor herniosus, qui ab impedito sanguinis per spermatica

*Externe a
medentibus
profecta
causæ.*

*Ulterior
causæ.*

tica varicosa indurataque testium vasa transitu, indeque feri facta separatione, atque intra testium vaginalem tunicam collectione, provenit. In hoc malo testiculus aquis innatare solet. Ejusmodi aquosus tumor vel paracentesi palliative, vel per incisionem scroti in longitudine, ipsiusque processus peritonei radicaliter sanatur, præeunte *Paulo EGINETA l. 6. de Medicina.*

§. IX.

Symptomata,

Concomitantur hoc malum I. testium sæpe pugnam excedens magnitudo, ob humorum ibi stagnantium copiam. II. eorundem durities. III. dolor gravatorius a pondere humorum proveniens, distensus, & ob partium consensum ad renes sese diffundens, nec non exquisitissimus, ob tunicam nerveam in superficie testium. IV. pulsatio, ardor, inflammatio testiculi & scroti, propter sanguinem incarceratum & a tergo urgentem. V. febris ad discussionem suscepta. VI. in subjectis sensibilibioribus delirium. Quanto certe dolore ejusmodi afficiantur ægri, clamores atque gemitus illorum continui satis testantur.

§. X.

Symptomata alia,

Præter ea ab increcente nimio humorum affluxu, ac restagnatione diuturniore vasa quædam rarefacta finduntur, quædam obstructa succum evomunt lymphalem viscidiusculum, qui causa herniæ carnosæ seu excrescentiæ fungosæ; talis hyperfarcosis non tantum ex testis fundo provenit, sed & superficiæ adnascitur, imo decursu temporis corpus pampiniforme ambit, & ad renes usque sese per muscutorum abdominalium annulos

anulos diffundit, cum continuo in regione lumbari ingravescente dolore, subinde & dysuria, gravibus pathematibus spasticis, mortisque periculo, gravi superveniente inflammatione.

CAP. II.

Semiologicam hujus morbi tractionem tradens.

§. I.

Ad morbos curandos quoniam multum refert, eorum signa nosse diagnostica, nec non illorum intelligere prognosin atque decursum: utraque jam exponere nostrum esse duco. Præsentia vero hujus mali ex insigni alterius vel utriusque testiculi tumore, cum conjuncto rubore, ardore, pulsatione, ac atroci dolore, ponderis instar testiculum deorsum trahente, colligitur. Quæ omnia tamquam signa naturalia ex ipsa morbi indole fluunt, scil. ex quantitate & qualitate humorum eo delatorum & vergentium, nec non ex vasorum partim strictura, partim distensione ac ruptura.

§. II.

Longe certius insuper affectus patet, quando ad huc gonorrhœa aliquo modo præsens est, vel ex confessione intempestive suppressa. Ex hoc etiam testiculi venerei signum sumi potest, si a retenta impura materia vitium oritur, prima tumet epididymis, conf. PLATNERVS in *Chirurgia* §. 129. Hæc omnia qui

B

probe

probe expendet, ei neque mendax ægroti relatio, neque morbi *cap. 1. §. 3.* allati imponere poterunt.

§. III.

Prognosis.

Licet congruis tempesteve adhibitis remediis, quæ nos pars practica docebit, malum hoc feliciter tolli ac profligari possit; tamen minime negligentius tractandum, quoniam, nimia scroti & testiculorum inflammatione accedente, non modo tumor in pus resolvi, sicque eviratio necessaria sæpe reddi potest; sed etiam, si in pejus res ruit, inflammatio celerius serpens, non raro in gangrænam & sphacelum degenerat; ubi maturata partium corruptionis labe affectarum resectione opus est, alias enim ægrotus certissimum vitæ discrimen subit. *conf. Cæl. HEISTER in Chirurg. Pr. 1. L. 4. §. 5. §. 4.*

§. IV.

*Prognosis
continua-
tio.*

Testiculus venereus etiam in tumorem irresolubilem seu scirrhum, incongrue tractatus seu medicamentis nimis sero adhibitis vel sibi relictus degenerare solet, & quod adhuc pejus est, interdum cancro corripitur, cujus prava indoles & consecraria medicis atque chirurgis fatis sunt nota. Scirrhus autem tali oritur sinistra tractatione, si pseudochirurgi emplastro de ranis cum Mercurio, vel spirituosis, vel solis resolventibus vel discutientibus producant; quia testium vascula, renixu eorum aucto, angustantur, humores stagnantes, tenuioribus fugam capeffentibus, in arctius spatium compelluntur.

§. V.

Ultior

Huc quoque tristia illa pertinent consecraria, quorum

rum §. 10. cap. 1. sub symptomatum enarratione jam *ejusdem*
 aliqualem fecimus mentionem, nimirum, si affluxu hu- *continua-*
 morum admodum aucto, diuque restagnante, vascula *tio.*
 rum puniuntur, lymphamque viscidiusculam plorant, ex
 qua non solum hyperfarcosos testiculis adnascuntur,
 verum etiam corpori pampiniformi, ad renes usque
 sæpe serpentes, quas indies concomitatur ingravescens
 dolor, cum dysuria ac dolorificis spasmus, imo deni-
 que in eum res venit locum, ut malum hoc omnem
 respuat curationem, & ægrotum tamquam certissi-
 mam victimam Atropo ultro offert. Hæc secum re-
 putans, non modo nullum impuræ Veneris in se fla-
 gitium admittet, certissimum castitati esse præmium
 intelligens; sed & debitam medicus ejusmodi ægri,
 sibi oblati, curam habebit, ne negligentia sua malum
 augeat vel immedicabile reddat.

PARS PRACTICA,

De testiculi venerei curatione.

CAP. I.

De curatione interna.

§. I.

Huic malo legitimam medelam allaturum, ex fonte *Dieta.*
 diætetico, pharmaceutico & chirurgico eam de-
 promere oportet. Respectu diætæ observandum est,
 ut æger a corpore omne frigus arceat & nimium ca-
 lorem, quia utrumque producendo augendoque ma-
 lo nimium patrociniatur, temperatus calor verò opti-

me conducit; ita in humorum resolvendo. Pathemata animi, cupiditates venereæ, ira, atque terror cane & angue pejus sunt fugienda; quoniam his omnibus morbus alitur & curationi obex ponitur. Potus dilutus esto, & æger sibi a spirituosiss, commoventibus etiam atque etiam caveat. Cibus eupeptus e. g. ex fructibus horæis siccatis eligatur; calida aromata, valde stimulantia, fortiora acida & adstringentia ejusque generis plura studiose evitentur. Hæc enim si in se admiserit æger, parum vel nihil proderit medicus atque chirurgus.

§. II.

Curatio interna.

Respectu curationis internæ, temperantia operæ pretium faciunt, ut non solum doloris acerbitas mitigetur, sed & nimius humorum impetus infringatur. Præter ea sanguinis respicienda legitima resolutio ac fluiditas, sic enim symptomatum atrociam obviam itur malumque labefactatur. Hunc in finem infusa theæformia ex herbis ac radicibus solventibus merito laudantur. Ptilanæ ex Hordeo, Liquiritia, femine Anisi etiam non contemnendi sunt usus. Species solventes hunc in modum concinnari possent. ℞. Rad. Gent. rubr. Zedoar. Galang. Cyper. rot. aa. ʒj. Herb. Serpill. Puleg. Hepat. nobil. Capill. Ven. aa. Mj. Flor. Galeops. Borrag. aa. pug. iij. Cort. Aurant. Crytall. tartari aa. ʒiij. conc. cont. M. vel quacunque tibi eas legitima componere placuerit ratione.

§. III.

Ejus continuatio.

Putridus insuper seminalis fluxus, si fieri potest, est restituendus, quoniam ab hujus suppressione malum

lum oriri solet, per *def. §. 1. c. 1.*: quod fieri potest per temperata diuretica, succinata, terebinthinata, tincturam Antimonii acris, inprimis per eff. Succini vel balsamum de Copaiva. Cel. HEISTERVS l. c. hunc in finem laxantia cumprimis Mercurialia commendat. Huic fluxui resuscitando quoque inserviunt injectiones externæ ex oleosis & mucilaginosi e. g. solo lacte, oleo Lil. alb. oleo Amygdalarum.

SCHOL. Diuretica pauca sæpe repetita dosi propinantur; ne nimium stimulando, nocivum excitent affluxum.

CAP. II.

De medela externa.

§. I.

Sequentibus indicatis externa hujus mali absolvitur *Medicamina externa*
 curatio: paragraphus I. cap. I. part. I. nos docuit *tumori re-*
 testium dolorificum adesse tumorem; §. VIII. ejusd. *solvendo &*
 cap. inter symptomata enarravit inflammationem: ex *inflam. in-*
 go tumor est resolvendus, & inflammationi resiten- *hibenda*
 dum, id quod optime fit cataplasmatibus ex speciebus *apta.*
 resolventibus ac emollientibus concinnatis e. g. ꝛ. Her-
 bas Salv. Horm. Marub. alb. Mß. Flor. Samb. Cham.
 vulg. Rom. Melilot. aa. pug. iij. Farin. Fabar. vel Feni-
 græc. ꝓij. coquantur species in lactis q. s. ad formam
 cataplasmatibus. Vel ꝛ. Herb. Altheæ, Serpil. Basil. aa.
 Mj. Flor. Malv. Verbasc. Sambuc. Cham. vulg. aa. pug.
 iij. Sem. Coriandri ʒvj. Farin. sem. Orobi vel Lini ꝓij.
 F. Spec. pro lacte. Perinde etiam est sive Species resol-
 ventes lacte, sive emollientes vino coquas; semper

enim hac ratione, resolventia atque emollientia sunt
maritata. His cataplasmatibus dolor simul egregie
lenitur.

SCHOL. I. Calor cataplasmatum utramque pagninam hic
absolvere videtur; optime enim resolvit & lenit; hunc
igitur in finem diu eorum conservandus est calor, hinc lin-
tea calida iis sæpius admovenda; sic mirum in modum
eorum augebitur effectus.

SCHOL. II. Cataplasmata hæc extrinsecus applicanda mini-
me valde humida esse oportet, sed spissiora sunt preferen-
da. Hinc Cel. **PLATNERVS** in *Obst. S. 131.* sequens com-
mendat: sumatur panis candidi interior pars, adjecta herba
Hyoscyami & pauco Croco, coquantur ex aqua fluviali,
donec habeant spissi cataplasmaticis temperaturam, & addi
potest parum olei cuiusdam emollientis, Verbasci, Lil. al-
borum, Althææ &c. Etiam farina seminis Lini, Fabarum,
addita pauca farina seminis Cūmini, ex aqua coqui pos-
sunt, donec crassitudinem cataplasmaticis minime madentis
habeant, quibus parum olei additur. Antequam cataplas-
mata injiciantur, scrotum vino austero vel aqua calcis vi-
væ ex quibus sunt decocta roborantia & discutientia vege-
tabilia, paululum lavari potest. conf. Cel. **PLATNERVS** l. c.

SCHOL. III. In resolutione testiculi veneri nunquam sola
discutientia adhibenda sunt, quia tumorem magis induran-
tes scirrho pandunt viam. Neque sola emollientia locum
habent; propter majorem vasculorum relaxationem, in-
deque subsequens majus illius incrementum. Miror igitur
Cel. **HOFFMANNVM** in *Therap. Special. S. 7. c. 17. S. 27.* a
Cel. **BUCHNERO** concentrata fofus ex solis emollientibus
lacte decoquendis commendare.

§. II.

*De empla-
stris.*

Quodsi hisce remediis haud fieri possit tumoris re-
solutio, ad emplastra deveniendum est, eadem, non
dicam

dicam majore vi pollentia, e. g. ℞. Empl. de Ranis cum Merc. de Melilot. Diachyl. cum Gumm. aa. ʒj. fiat malaxando emplastrum supra alutam extendendum. Vel ℞. Empl. de Melilot. Diäsulphur. Rulandi, aa. ʒ6. de Ranis cum Merc. drach. vj. fiat l. a. cum Bals. sulphuris terebinthinali q. s. emplastrum. Massa autem paulo spissior tenaciorque reddenda, ne humida nimis, poros obstruendo, damnum inferat, & eam ob causam Balsamus sulphuris etiam omitti potest. Antequam emplastrum imponitur; testiculus paucis olei Tartari foetid. vel olei C. C. foetid. irrorari potest, quo emplastra magis penetrent atque resolvant. Illud si fit, in vulgus prodeundum non est, ob foetidum, qui a dictis oleis spargitur, odorem.

§. VIII.

Cel. BOERHAAVE in Aphorif. 1462. præter testium tumidorum fotum, cataplasmate anodyno, discutiente, emolliente perficiendum; si urget malum; sanguinem ex brachio educendum suadet. In eadem sententiam laudatus est PLATNERVS in Instit. Chir. rationalis §. 130. Neque hoc consilium spernendum esse duco; quoniam hac via humorum infringitur impetus, nec inflammatio, aucto pabulo, ultro alitur.

§. IV.

Quoniam nimius humorum affluxus huic malo fovendo egregie inservit, est minuendus, eorumque per lymphatica pariter ac venosa vasa accelerandus reditus, testes fascinatione commoda scroti, nempe suspensorio, Gallis la poche dicto, suspendendo.

HEISTERVS l. c. hic etiam Acetum lithargyrifatum, vel cataplasma ex farina Fabarum & aceto laudat. Alii hunc in finem moderatum usum Aquæ Calcis viv. Cerasæ, Tiliæ &c. expetunt.

§. V.

*De scroti
inflammatione.*

Inter symptomata §. IX. Cap. I. Pr. I. relata, scroti reperitur inflammatio: idcirco huic quoque occurrendum est; quod optime fit roborantibus. Si vero nigrities illud jam occupavit; protinus omne quod corruptum excidendum; ne partes sinceræ trahantur: cavendum tamen, ne ex incisa arteria sanguinis oriatur profusio; quare sæpe præstat, crustas scalpello concidere, & medicamentis digerentibus cum septicis maritatis e. g. cum unguento Wurtzii resolvere.

§. VI.

*De testis
suppuratio-
ne.*

Quoniam §. III. C. II. Pr. I. inter alia ostendimus, scrotum & testiculum in pus interdum resolvi; etiam nunc inculcandum est, quid tunc facto usus sit: quod si igitur pus oritur, inciso tumore, pus ad maturitatem perductum emittitur, ulcusque digestivis purgatur, balsamoque vulnerario dein consolidatur. Ulceris vero maturationem emplastrum de Hyoscyamo & Diachyl. cum Gummat. egregie promovet. Licet totum interdum in ulcerationem abeat scrotum, medicamentis tamen balsamicis iterum in totum restitui potest. Conf. Cel. HEISTER. l. c. §. 7.

§. VII.

*De scirrbo
incipiente.*

Si dissipata inflammatione, tumor durus manet; diu superhabenda sunt emollientia, & ex his, nisi cutis

tis, emplatri impatiens fit, emplastrum quod æquas
portiones Diachyl. compositi & Diaphor. Mynsichti
habet. Interdum enim indefessa emollitionis continua-
tio scirrhum vincit, & ad sanitatem ægrum perducit.

§. VIII.

Si testiculus venereus in scirrhum transferit ob- *De scirrho*
firmatum; intactus est relinquendus; etenim nonmo- *obfirmato.*
do ei applicata luditur opera, verum etiam incogruè
medicamentis irritatus, in pejus ruere potest: præstat
igitur in irreparabili damno opem non tulisse, quam
majus ægotanti concitasse malum.

§. IX.

Ubi testiculus venereus in ulcus cancroideum *De testium*
transire videatur, ad quod facile inclinat; tunc cito pe- *ulcere can-*
de ad resectionem confugiendum est, si nempe corpus *croides.*
pyramidale ab omni induratione & hypersarcosi libe-
rum, vel commoda ligatura injici possit: vasa enim
spermatice ante resectionem liganda sunt. Nec ob-
stant experimenta castrationis brutorum sine ligatura;
vasa enim spermatice in hominibus comparative quam
in illis majora sunt.

SCHOL. Si testium ulcere cancroideo correptorum negli-
gitur exciso; materia in sanguinem delata, nervos aggre-
ditur & febrem hecticam inducit.

§. X.

Quando, quod §. IO. cap. I. enarravimus, *De male hoc*
evenit nempe quod non solum hernia carnosæ ex testis *insanabili.*
fundo provenerit, sed & corpus pampiniforme ambie-
rit, & ad renes usque sese per abdominis musculorum
annulos diffuderit: tunc omnis extirpatio erit frustra-

C

nea

nea, quid quod funesta, brevi enim post operationem lumina claudit æger, observante Palfino *operat. chir. p. 1. c. 15.* Eam enim excipere solent, inflammationes, deliria, epilepsia, &c. usque dum mors scenam claudat. Magis igitur conducit, ægotum in tristi suo statu relinquere, quam temeraria operatione famæ suæ labem aspergere, ac ægroti fata anticipare.

SCHOL. Quamvis interdum, hyperfarcosi nondum ad renes usque serpente, aliqualis ligatura, adeoque testiculi excisio habeat locum; attamen non omni periculo liber est æger, sanguine enim impetuose versus pectus & caput regurgitante, interdum suffocatiōnis periculum minatur.

§. XI.

*De remediis
insufficien-
tibus.*

Si quis testiculum venericum naturæ medicatiōni prorsus esset relicturus, spes ejus decollaretur, & fenestra patefieret malis §§. præcedentibus enarratis v. c. scirrho, corruptioni ulcerosæ immo cancroideæ, sphacelationi, hyperfarcosi &c. Neque testium tumores solis interis, nec sola salivatione curantur, nisi simul idoneis succurramus externis. Conf. Cel. HOFFMANNVS in therapia speciali §. 8. cap. 4. §. 27. qui ibidem hunc in finem fortis & vapores ex herbis & floribus emollientibus in lacte coctos commendat. Pariratione errant, qui solis externis fidunt, internis medicamentis susque deque habitis; vis enim unita major, & gonorrhœa per interna reproducta, & affluxu humorum temperato &c. totius morbi pacem facilius in leges nostras conficere poterimus. Neque sola discutientia neque sola emollientia operæ pretium facere, sed potius nociva esse, jam in *schol. §. II. Cap. II. Part.*

Part. II. una cum rationibus indicavimus, nec ulterio-
re hujus rei opus est explicatione; experientia haud
raro idem testante.

§. XII.

Præter ea, quæ sparsim de inconvenientibus re- *De incon-*
mediis, huic morbo perperam oppositis, jam monui- *gruis.*
mus, sequentia adhuc in medium adducenda esse non
inutile esse duco: in testiculi venerei curatione exu-
lent resinosa; quoniam spasmos atque dolores magis
augent, quam opitulantur. Cephalica, quoniam sa-
le volatili oleoso sunt prædita, etiam rejiciuntur.
Neque spirituosa & Spiritus vini camphoratus in usum
sunt vocanda; his enim vascula magis coarctantur ac
humores oppido in angustiam coguntur.

SCHOL. Hæc medicamenta non tantum in testiculi vene-
rei curatione, sed & in omni glandularum induratione, ob
causas allatas, sunt rejicienda; secus qui fecerit, impruden-
tia poenam feret, dolende modo agrotorum miserorum
vices, quorum capiti hoc sinitur, & in quibus hæc cuditur
faba.

§. XIII.

Qui semel hoc malo mactatus fuit, & iterum cum *De mali re-*
sanitate in gratiam redustus, ut piscator ictus semel *cursu facili.*
sapiat, & cum Horatio, in posterum cautius mercatu-
rus, dicat: me tabulâ sacer

Votivâ paries indicat uvida

Suspendisse potenti

Vestimenta maris Deo.

Namque genitalia semel debilitata, vel ob levissimam
causam, congestionem gravem atque testium tumo-

morem iterum admittunt, ut æger non modo in eodem iterum hæreat luto, sed & difficilior evadat morbi in sanitatem mutatio. Sed ut fit, qui semel impurus impurum Venerem sequuntur, ægre pravæ coercent cupiditates, in eundem labyrinthum incidentes. Ergo Medici præter morbi curationem, ejusmodi spurcos officii sui commonefaciant; ne iterum ægrotum animum ad deteriore[m] viam applicantes, Medici opera atque auxilio abutantur.

Cesur.

§. XIV.

Colophonis ergo, casum quendam de hoc morbo in medium asserere libet; quia in celebri quadam academia ante annum & quod excurrit, auxiliatrices hoc morbo correpto adicere manus mihi contigit. Juvenis undeviginti annorum, temperamenti cholericofanguinei, (quem vitæ, ad quod se præparabat, genus ad longe aliud vocabat,) antea optima valetudine fruens, ab impuro quodam comilitone in ganeum abductus, ibi ex impuro sæpiusque reiterato congressu, malignam sibi contraxit gonorrhœam; hanc, erubescens malum, Medicum celavit, sicque malum altiores agere impune potuit radices. Quem ad modum autem aliud ex alio malum sequi solet, & vitia connubium inter se amant; hic bonus vir integros dies potando hilares absumere, & cum sui similibus debachari solitus erat. Hinc factum ut, aliquo die frigidò, cum largis haustibus spiritum vini biberet, illico, sufflaminato impuro seminis fluxu, prægrandè testiculo venereo corriperetur. Quo facto, tantos experiebatur dolores, ut clamores & suspiria indefesso ederet ore. Ad hunc

hunc vocatus, morbi rationem cognoscens, interne infusum temperans atque resolvens diligenter propinavi, interposito pulvere temperante, ex Nitro depur. Corall. rubr. præp. Cinnabari opt. & Massa Pil. de Cynogl. confecto. Externe cataplasma spissius ex Resolventibus & Emollientibus combinatum & moderate calidum, iterum atque iterum loco affecto applicavi, cujusmodi §. I. Cap. II. Pr. II. in medium adduxi. Præter ea ad revocandam gonorrhœam injectionem lactis calidi, oleo emollienti imprægnati in urethram admitti sedulo curavi. Sub hujus methodi continuatione paucos intra dies æger in pristinum statum fuit perductus. Gonorrhœæ malignæ curatio etiam feliciter absolvi potuisset; nisi impurus ad ingenium turpenique vitam rediens, prostibula sectari quam integra valetudine frui maluisset. Hinc adhortationibus in cassum adhibitis, operam meam ulterius perdere nolebam.

§. XV.

Dantur interdum congestiones versus testiculum a suppressione fluxus impuri ortum non trahentes, quod ex tumore leviori & multo mitioribus symptomatibus elucet. Innotuit mihi exemplum juvenis viginti sex annorum, plethorici, mobilis vitæ generis, hic curru vehens in regiones fortiori sole calentes, ibi vine generosa large effuseque hausit. Aliquo die inter itineris socios insigniter Bacho libans, ingenioque indulgens, primum dolorem pressorium circa renes expertus est, & deinceps testiculum intumescens atque inflammatum. Hic sola quiete, & aquæ frigidæ

De congestione versus testiculum non venerea.

potu, ac linteaminibus moderate calidis externe applicatis brevi reconvaluit tempore. Quamdiu autem malum præsens erat, corporis motum ferre non potuit, sed ab instituto cursu devocabatur. Neque statim post recuperatam secundam valetudinem vinum largiter ingurgitare potuit. Nemo non videt, a nimio sanguinis orgasmo & motu succussatorio aliisque forte concurrentibus causis in hoc subjecto plethorico hoc malum ortum fuisse.

§. XVI.

*Conclusio
tractationis.*

Hæc tam ratione theoriæ quam praxeos sufficientia esse credimus; tam ut indoles hujus morbi rite cognoscatur & ab aliis distinguatur, quam ut legitima curationis methodo ei obviam eatur; quo miseris istis opem ferre, ac graviora damna ab illis avertere possimus. Faxit Deus, omnis salutis fons, ut & hic labor in maximi nominis sui gloriam proximique cedat utilitatem. Tu vero, B. L. hunc laborem inauguralem æqui bonique consulas, & me ad omnia humanitatis officia semper paratissimum habebis.


F I N I S.




01 A 6602

ULB Halle 3
002 932 512







DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
**TESTICVLO
VENEREO**

QVAM
CONSENSV
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA
PRAESIDE

DN. D. HERM. PAVLO IVCH

SACRI PALATII CAESAR. COMITE
FACVLT. MED. H. T. DECANO SENIORE ET ASSESSORE PRIMARIO
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORD.
SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET GOTH. CONSILIAR. AVL. ET ARCHIATRO
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQVENDI
PLACIDÆ ERVDITORVVM DISQVSIONI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

JOANNES GOTTLOBIVS SÜSSIVS

NEOKIRCHENSIS-MISNICVS.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS
HOR. CONSVET.

DIE XXVI. NOVEMBR. ANNO MDCCXLIX.

ERFORDIAE

Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.